Sechstes

PROGRAMM

der

Realschule II. Ordnung

zu

Leisnig

als

Einladungsschrift zu den öffentlichen Prüfungen

am 18. und 19. März 1880,

sowie

zur Entlassung der Abiturienten.

Inhalt:

1) Abhandlung des Oberlehrer Weber: Quibus de causis Cicero post libros de oratore editos etiam „Brutum" scripserit et „Oratorem".
2) Schulnachrichten vom Director.

Leisnig. Buchdruckerei von Herrm. Ulrich.

1880. Prgr. Nr. 477.

Sechstes

PROGRAMM

der

Realschule II. Ordnung

zu

Leisnig

als

Einladungsschrift zu den öffentlichen Prüfungen

am 18. und 19. März 1880,

sowie

zur Entlassung der Abiturienten.

Inhalt:

Leisnig. Buchdruckerei von Herrm. Ulrich.

1880. Prgr. Nr. 477.

Quibus de causis Cicero post libros de oratore editos etiam „Brutum" scripserit et „Oratorem".

Cicero quum Roma fugere coactus, domus deleta, re familiari privatus esset, animo erat afflicto. Ac quamquam gravissima illa tempora brevi melioribus mutabantur et Cicero de adversariis triumphum agens anno quinquagesimo septimo in patriam redibat, tamen nihil jam valebat in rebus, quae ad rempublicam pertinebant. Pompejus enim et Caesar re vera jam soli regnabant neque liberatori patriae locus relictus erat. Itaque jam anno quinquagesimo sexto ineunte Cicero in villam tranquillam se recepit. Deinde paullisper rursus Romae moratus anno quinquagesimo quinto, quum comitia habita magistratibus creandis perpetuo interpellarentur, denuo in villam reversus est, ut litterarum studiis animum tristem recrearet. Quo tempore quum a rebus publicis remotus esset, tres illos libros de oratore, opus summo artificio perfectum, scripsit. Hoc opere id potissimum demonstrare volebat neque praeceptis rhetorum Graecorum neque solo usu in foro aut in contionibus aut in senatu quemquam oratorem vere perfectum fieri posse, sed multo majora ei, qui talis orator fieri vellet, esse tractanda. Apte enim conjungendam esse doctrinam litterarum Graecarum studio partam et sapientiam ad omnes res pertinentem cum quotidiana exercitatione. Hanc autem sententiam, quam de artis oratoriae natura et de iis rebus, quae perfecto oratori essent discendae, habebat, ut Romanis probaret, in hoc opere Crassum et Antonium, quos summos oratores esse inter omnes constabat, suam ipsius sententiam explicantes et confitentes fecit se eam ipsam ob rem ad summam dicendi perfectionem non pervenisse, quod illis in studiis non satis diligenter ac late versati essent. Omnia autem praecepta, quae Cicero in illis libris tradit, manifeste nobis indicant, qua via ipse talis orator, qualis fuerit, factus sit. Ac materiam ita tractat, ut primum quibus rebus ad munus oratoris nos praeparare debeamus, exponat; deinde de inventione, collocatione, memoria loquatur, tum elocutionem atque actionem attingat. Ita Cicero Romanos omnibus rebus dicendi studiosis necessariis satis instruxerat. Neque tamen satis habebat hos libros scripsisse, sed decem fere annis post etiam duos libros, Brutum et Oratorem, edidit. His libris item res ad artem oratoriam pertinentes continentur ac multis locis eadem praecepta quae in libris de oratore editis inveniuntur. Quibus autem de causis Cicero post libros de oratore editos etiam Brutum scripserit et Oratorem breviter exponere nobis propositum est.

Atque in Bruto scribendo Ciceronem id potissimum spectasse, ut historiam Romanorum eloquentiae aequalibus accuratius traderet, plurimos Romanorum oratores temporum ordine enumeraret, eorum virtutes oratorias ostenderet quidque eorum cujusque proprium esset ex-

poneret, nos non fugit. Neque dubitare possumus, quin Ciceroni historiam Romanorum eloquentiae scribenti in animo fuerit secundum praecepta oratoria in libris de oratore editis tradita omnium Romanorum oratorum censuram diligenter agere. Nemo enim umquam antea opus perpetuum et historiam et litteras complectens confecerat, nemo antea ad litteras Romanas accuratius cognoscendas adjumentum praebuerat. Omnibus enim locis Bruti, quibus convenit, Cicero litterarum partes arti dicendi finitimas respicit. Ad hunc autem librum scribendum libro potissimum annali Attici viros inter Romanos maxime excellentes brevi in conspectu ponente commotum se esse Cicero ipse confitetur. Quem librum maximae utilitati sibi fuisse Cicero satis perspicue ostendit, quum Bruto praesente se excuset, quod plurimas res huic sermoni minus aptas afferat. Cujus rei culpam Attico tribuit, qui se studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi inflammaverit. Etiam hoc magni erat momenti, quod jam Aristoteles post librum, qui ῥητορική inscribitur, editum opus confecerat, quod inscribitur τεχνῶν συναγωγή, quo oratores temporum ordinibus spectatis enumerat ac superioris libri ratione habita dijudicat. Varronis quoque doctrina Ciceroni multum profuit. Nam hunc in Bruto rerum antiquarum literate peritum haud raro se praestare videmus. Sed praeter illud quod supra commemoravimus Ciceronen in Bruto scribendo etiam alia multa spectasse perspicuum est. Quae per totum librum cognosci possunt. Haec autem ut intelligamus atque recte dijudicemus, ea tempora, quibus Brutus scriptus sit, consideranda nobis sunt. Anno quadragesimo sexto priusquam proelio ad Thapsum commisso bellum in Africa gestum ad exitum esset ductum et Caesaris res florerent et respublica libera deleretur, Cicero intelligebat orationem forensem non jam ea auctoritate ac gravitate, qua antea, esse futuram. Itaque quum ex exsilio rediisset et propter gravissimos reipublicae casus vehementi dolore esset affectus, ad litterarum studia se contulit. Atque ita intelligimus Ciceronem scripsisse Brutum reipublicae conditione coactum otio sese dedere. Per totum enim librum quam sit male affectus Cicero ac tristis videmus. Magnopere angitur animo, non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rempublicam, quae didicerat tractare quibusque se adsuefecerat, quaeque erant propria quum praestantis in republica viri tum bene moratae et bene constitutae civitatis. Ejus multum intererat aequalium animos inflammare eorum temporum amore, quibus oratione, non gladio reipublicae salus dijudicaretur. Apparet illum efficere voluisse, ut ars dicendi ad interitum ruens rursus auctoritate floreret. Quod ea re optime assequi poterat, quod aequalibus omnium oratorum memoriam renovare, oratorum Romanorum studia excitare, patriae amorem Romanorum incendere, superbiam eorum alere studebat. Hoc autem modo Romanos in Bruto adhortans ac docens Cicero se ipsum imitatione dignissimum esse oratorem putat; atque id optimo jure, quia ex Romanorum oratoribus haud dubie perfectissimus erat et dicendi copiam inter populum Romanum non modo illustravit, sed etiam genuit. Quod multis libri locis intelligimus. Magnis se laudibus effert certe se et boni aliquid attulisse juventuti, magnificentius quam fuerit genus dicendi et ornatius; et nocuisse fortasse, quod veteres orationes post suas a plerisque legi sint desitae. Praeterea autem Crassum laudans sic existimat illius oratoris merito dicendi Latine primam maturitatem exstitisse et jam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere potuerit, nisi qui a philosophia, a jure civili, ab historia fuerit instructior. Quo facto Cicero a Bruto interrogatus, utrum futurus esset, an jam esset iste, quem exspectaret, scire se negat. Hoc autem loco Ciceronem putare se jam illum oratorem esse, qui omnibus in rebus perfectus sit, perspicuum est. Nec minus apertum est Ciceronem se ipsum significare his verbis: „plus enim certe attulit huic populo dignitatis,

quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt: ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphi." Neque igitur temere in Bruto accurate exponit, quo modo ipse doctrina atque litteris eruditus sit. Vehementer enim optabat, ut aequales eodem modo doctrina atque litteris instruerentur atque ita eandem laudem oratoriam, quam ipse, assequerentur. Reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebatur quotidieque et scribens et legens et commentans oratoriis tantum exercitationibus contentus non erat. Juris autem civilis studio multum operae dabat Q. Scaevolae. Atque quum Philo, princeps Academiae, Romae versaretur totum ei se tradidit admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, in quo hoc etiam commorabatur attentius, quod rerum ipsarum varietas et magnitudo summa eum delectatione retinebat. Eodem anno Moloni Rhodio Romae dedit operam et actori summo causarum et magistro. Quum illis temporibus principem locum inter oratores teneret, Cicero eodem cursu, quo orator ille, uti et in spatio Hortensium ejus vestigiis persequi volebat. Itaque illo tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur. Nec paullum ei proderat studium dialecticae, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est; sine qua illam justam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi non possumus. Nullus autem dies ab exercitationibus oratoris vacuus erat; declamitans commentabatur; idque faciebat saepe Graece, quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat. Atque quum litteras Graecas ad magnam gloriam in arte oratoria assequendam maxime necessarias esse Ciceroni valde esset persuasum, omnibus occasionibus utebatur, ut in illis litteris proficeret. Itaque sex menses cum Antiocho veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo erat. Tum Rhodum venit seque ad eundem, quem Romae audiverat, Molonem applicavit, quum actorem in veris causis scriptoremque praestantem tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. Is consecutus est, ut nimis redundantem et superfluentem juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentem Ciceronem coerceret. Tali modo illud effecit, ut Ciceronis lateribus vires et corpori mediocris habitus accederent. Quoniam cognovimus Ciceronem oratorem omnium perfectissimum ab aequalibus judicatum esse atque ipsi persuasum fuisse se ex omnibus optimum esse oratorem et ex omnibus optima praecepta oratoria tradere, mirari non possumus, quod in Bruto suam ipsius eloquentiam summis laudibus effert et cum oratoribus et vetustioris et recentioris aetatis partim manifeste partim occulte ita se confert, ut omnibus his oratoribus anteponendus videatur. Quin etiam videmur haud falso arbitrari Ciceronem Brutum sui ipsius defendendi causa scripsisse. Atque primum quidem Ciceroni erat in animo se defendere ab illis oratoribus, qui vocabantur pseudoattici. Qui quum dicendi rationem sequerentur a Ciceronis ratione prorsus alienam itaque Ciceronem oratorem esse vituperandum vehementer contenderent periculosissimi Ciceronis adversarii exstiterunt. Horum virorum genus dicendi tenue praecipue Cicero existimat rejiciendum esse. Contra in Bruto illi oratorum generi Graecorum oratores praeclarissimos, Demosthenem potissimum, imitandos proponit, quorum orationes solae imitatione sint dignae. Illi autem oratores pseudoattici in eo vehementer errabant, quod Lysiae et Thucydidis scribendi genus secutos Attice se loqui opinabantur. Thucydides rerum gestarum pronuntiator sincerus et grandis etiam fuit; illud forense concertatorium judiciale non tractavit genus. Itaque fieri non poterat, ut ejus orationes oratoribus in causis dicendis imitandae obversarentur. Quod autem pseudoattici illi Demosthenem sese imitari contendebant, valde illos vituperat, quod oratorem illum non assequuntur. Namque quum

Demosthenes dicturus esset, concursus audiendi causa ex tota Graecia fiebat. At quum isti Attici dicunt, non modo a corona, sed etiam ab advocatis relinquuntur. Horum princeps quum esset C. Licinius Calvus, qui ex omnibus pseudoatticis maxime a Ciceronis dicendi ratione alienus erat, hunc potissimum Cicero in Bruto impugnandum sibi deligit. Is vir quamquam scienter eleganterque dicendi genus tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese observans metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque ejus oratio nimia religione attenuata doctis et attente audientibus erat illustris, a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur. Sed quum propter scribendi genus potissimum pseudoattici Ciceronem reprehenderent, hic adversariorum crimina ea re diluere studet, quod Atticus et Brutus Ciceronem Latine scribendi principem esse atque inventorem sermonis praeclari atque elegantissimi bene de populi Romani nomine ac dignitate meritum esse confirmant. Praeter oratores autem Graecorum Ciceroni Romanorum oratores vetustioris aetatis usui fuerant. Quos quod prorsus neglexerint, Cicero pseudoatticis item crimini vertit. Ac praecipue eam ob rem illi Ciceroni vituperandi videntur, quod illis Cato plane ignotus sit, quippe qui Hyperidis et Lysiae sit simillimus. Qui vir erat gravis in laudando, acerbus in vituperando, in sententiis argutus, in docendo edisserendoque subtilis. Refertae sunt ejus orationes et verbis et rebus illustribus; sed Catonis luminibus obstruxit posteriorum quasi exaggerata altius oratio. Lysias quidem et Hyperides a plerisque Romanis amabantur, quum penitus ignoraretur Cato, quod antiquiorem esse illius sermonem et quaedam horridiora verba dicerent. Nec vero hi vituperatores si modo ad Catonis orationes numeri adderentur neminem Catoni anteponi posse intelligebant. Praeterea autem Cato erat distinctus in verborum immutationibus et sententiarum orationisque formis utendis. His autem omnibus adversariorum vitiis Cicero putabat factum esse, ut non eam laudem oratoriam assequi possent, qua ipse vigeret. Illis enim id quod oratori maxime esset cupiendum popularem approbationem deesse demonstrabat. Cujus participem fieri eum, qui oratione animos audientium permovere, incitare, flectere, non item eum, qui multitudinem docere tantum posset. Ac quia Ciceronis adversarii illius dicendi genus acerbissime vituperabant, graviter confirmabat orationes suas a multitudine valde probari. Hujus autem approbationem judicio intelligentium multo se praeferre confiteri non dubitabat. Atque tria illa, quae oratione efficienda sint, ut audientes doceantur, delectentur, moveantur, quas res jam in libris de oratore editis commemoraverat, etiam in Bruto accuratius considerans exponit eum, qui tribus illis rebus ita, ut velit, audientium animos moveat, a multitudine probari necesse esse. Multitudinem enim quid oratione efficiatur, doctos cur efficiatur, intelligere. In eorum autem numero, qui a Cicerone in dicendo alieni erant, etiam M. Junius Brutus collocandus est. Qui quamquam artissimo amicitiae vinculo cum Cicerone erat conjunctus eademque quae ille de iis rebus, quae ad rempublicam pertinebant, sentiebat, tamen aliam dicendi rationem atque Cicero sequebatur. Neque hoc mirum erat, quum illius acutum ingenium, animus frigidus, severitas ac gravitas propria essent, hic cogitationis nimia quadam ubertate, humanitatis sensu, animo concitato esset praeditus. Nihilo tamen secius Cicero in eo libro, de quo agimus, Bruti virtutes oratorias summis laudibus efferebat, quin etiam Ciceroni erat persuasum futurum esse ut Bruti merito Romanorum eloquentia maxime vigeret, si pseudoatticorum dicendi generi se opponeret atque ad Ciceronis genus dicendi propius accederet. Bene autem de Bruto eam ob rem existimabat, quod is quum litterarnm peritus tum litteris Graecis eximie eruditus erat. Itaque Cicero quum Brutum in posterum inter Romanorum oratores principem esse futurum speraret, librum, quo de claris

Romanorum oratibus agitur, ad Brutum scripsit. Atque eadem de causa hic liber inscriptus est „Brutus de claris oratoribus". Ac quam insignem oratorem Cicero Brutum existimet, libro ad Brutum scripto perspici potest. Cicero enim arbitratur post Hortensii clarissimi oratoris mortem se et Brutum orbae eloquentiae quasi tutores relictos esse. Itaque Brutum adhortatur, ut domi teneat eam saeptam liberali custodia, et ignotos atque impudentes procos repudiet tueaturque ut adultam virginem caste et ab amatorum impetu prohibeat. Brutum igitur sua frui virtute cupit eique optat eam rempublicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possit. Huic multum laudis tribuit, quod non linguam modo acuerit exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletaverit graviorum artium instrumento. Simulque eum admonet, ut se in suis perennibus studiis contineat, ne postea in numero eorum patronorum, quos in illo sermone congesserit, habeatur. Deinde in Bruto scribendo Ciceroni in animo fuisse ab omnibus oratoribus et vetustioris et recentioris aetatis se defendere apparet. Hoc modo et quid ipse dicendo efficeret et quam eximiis virtutibus oratoriis esset, indicare volebat. Praecipue autem necesse esse contendebat oratorem omnibus litteris esse eruditum. Putabat enim praecepta a Graecorum magistris dicendi tradita jejuna atque arida, a vita quotidiana aliena et solum dicendi usum non sufficere ad bene dicendi facultatem consequendam. Ciceronem ipsum autem in omnibus litterarum partibus diligentissime versatum fuisse scimus. Quodsi Antistium, Scaurum, Curionem, Torquatum, Memmium reprehendendos esse censet, manifestum est Ciceronem ea re se ipsum laudare et ostendere velle se ex eruditione atque doctrina majorem laudem quam aequales et oratores, qui antea fuerint, esse adeptum. Atque in Scauro et Curione commemorandis dum Cicero causas quaerit, cur ii excellentium oratorum laudem non sint assecuti, maxima ex parte eam ob rem eorum gloriam esse minutam intelligit, quod iis doctrina defuerit, sine qua etiamsi quid bene dicatur adjuvante natura, tamen id, quia fortuito fiat, semper paratum esse non possit. Qua re factum esse, ut Scaurum testimonium, non causam dicere homines putaverint, quum pro reo dixerit. Ex litterarum autem partium numero Cicero enumerat historiam, jus civile, philosophiam. Quibus accurate cognoscendis oratorem operam dare oportere Cicero arbitratur. Has tres litterarum partes ipse diligenter tractaverat et in illis plus quam omnes oratores se consecutum esse putabat. Quod optime intelligimus eo loco Bruti, quo Cicero cum Sulpicio confertur. Atque quomodo philosophiae studiis deditus fuerit commemorans ostendit se Platonis, Aristotelis, Theophrasti studio vim, copiam, jucunditatem dicendi sibi paravisse. Quibus rebus oratoris virtutes continentur. Illas autem tres res in nullo alio oratore tam praeclare inter se conjunctas esse Cicero censebat. Praeterea in philosophiae studiis commemorandis explicare studet peripateticorum et academicorum tantum philosophiam oratori usui esse, stoicorum philosophia orationem nimis contrahi atque astringi. Quod quam verum sit Rutilii et Tuberonis exemplo demonstrat, quos laudem oratoriam haud singularem assecutos narrat. Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est. Sunt ejus orationes jejunae, multa praeclara insunt de jure; doctus erat vir et Graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis, quorum peracutum et artis plenum orationis genus, tamen exile nec satis populari assensioni accommodatum est. Pariter autem ac Rutilius nullo in oratorum numero fuit Tubero, qui vita severus et congruens cum ea disciplina erat, quam colebat. Qui oratione est durus, incultus, horridus; tali modo honoribus majorum respondere non potuit. Omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sunt et id arte faciunt suntque architecti paene verborum, iidem traducti a disputando ad dicendum inopes reperiuntur. Unum excipimus Catonem, in

quo perfectissimo Stoico summam eloquentiam non desideramus. Quodsi omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio, quorum in doctrina atque praeceptis disserendi ratio conjungitur cum suavitate dicendi et copia. Eodemque modo in Bruto explicat nisi qui litteris Graecis imbutus sit perfectum oratorem dici non posse. Jam ea ipsa re, quod in Bruto Romanorum eloquentiae historiam nobis tradidit pauca praefatus de Graecorum eloquentiae historia, Cicero declarat Graecorum eloquentia partam esse eloquentiam Romanorum. Multis praeterea Bruti locis, quanti momenti Graecorum oratorum studium ad suum ipsius ingenium oratorium excolendum fuerit, indicat. Atque ex Thucydidis scriptis didicerat grandem verbis et crebrum sententiis esse, Socratis scriptis subtilitatem quandam disputandi sibi quaesiverat, Isocratis orationibus intellexerat etiam in soluta oratione oportere servari modum atque numerum, Lysiae orationibus subtilitatem atque dictionis elegantiam sibi paraverat. Demosthenis autem orationibus, quem solum oratorem perfectum vocari posse judicabat, effectum est, ut Cicero ingenii acumen et sententiarum granditatem consentientia cum dictione eleganti atque pressa sibi pareret. Ita Graecorum oratoribus ad dicendi imitationem propositis Cicero in Bruto docebat Romanorum oratores aetatis vetustioris haud negligendos esse. Quibus quod in Bruto multum tribuebat et contendebat Catonis et Curionis libros saepissime volvendos esse, eo pertinebat, quod illorum libri ad Ciceronis ingenium excolendum multum valuerant. Praeterea autem quantam vim scriptio orationum habeat exponit et Romanos hortatur, ut orationes scribant. Nullam enim rem tantum ad dicendum et ad memoriam in posterum ingenii proficere quantum scriptionem. De sermonis vero incorrupta integritate atque elegantia optime meritum se esse quantopere Ciceroni fuerit persuasum, ea re perspici potest, quod in Bruto commemorat M. Antonium — quem oratorem perfectum fuisse constat — diligenter loquendi laude caruisse. Se ipsum Cicero putat eam ob rem summa laude dignum esse, quod *σχήματα* et *διανοίας* et *λέξεως* in dicendo adhibeat. Praeter pondus et gravitatem in oratore censet oportere esse salem, facetias, leporem. Scurrilem autem leporem oratorum inanium vehementer rejicit. Neque parvi momenti ad audientium animos et inflammandos et flectendos actionem esse existimat, quae non solum voce, sed etiam corporis gestu constet. Atque de voce nonnulla praecepta tradit narrans se ipsum initio omnia sine remissione vi summa vocis et totius corporis contentione dixisse, postea Molonis opera redundantem se et superfluentem juvenili quadam dicendi impunitate et licentia repressum et quasi extra ripas diffluentem coërcitum esse. Qua in re Cicero Demostheni assentitur, qui primum, secundum, tertium oratori actionem esse dixerat. Nulla enim re audientium animos magis inflammari nullaque re oratores magis ita videri, ut ipsi videri vellent. Praecipue denique propter laborem forensem aliis omnibus oratoribus anteponendum se esse neque ullo loco nisi in foro oratorem gloriam adipisci posse arbitrabatur. Itaque Isocratem, Lysiam, Demetrium, M. Pisonem, C. Censorinum in oratorum perfectorum numerum non referendos docet. Quos omnes labores ac molestias forenses fugisse. Prorsus aliter se ipsum egisse, quum dicendo rempublicam saepissime defenderit ac tuitus sit. Solum igitur se esse oratorem, qui de republica optime sit meritus. Isocratis mentionem facit, qui, quamquam magnus orator et perfectus magister, tamen forensi luce caruit. Ac pari modo Lysiam commemorat, qui egregie subtilis scriptor atque elegans in causis forensibus versatus non est. Majoribus autem laudibus Cicero artem suam in causis publicis spectatam efferre non potest quam eo loco quo de prima causa publica pro Sex. Roscio dicta verba facit. Quam orationem dicit tantum commendationis habuisse, ut non ulla causa fuerit quae non digna suo patrocinio visa sit.

Sed post Brutum editum restabat, ut Cicero etiam aliud opus conficeret. Postquam enim libro de claris oratoribus scripto exemplis e rerum memoria petitis demonstratum est usque ad Ciceronis aetatem oratores ad summam perfectionem nondum pervenisse neque summum atque omnibus numeris absolutum oratorem in lucem editum esse, ad extremum quaestio exstitit, num perfectissimi oratoris species posset fingi — nulla ratione habita, utrum talis orator esse posset necne — et qualem illam perfectissimi oratoris speciem esse oporteret. Ad hanc quaestionem Cicero in „Oratore" respondet et in hoc libro ita ut in Bruto scribendo inscriptione libri indicat, quemadmodum recte judicare possimus de iis rebus, quas in „Oratore" exposuerit. Neque enim de summa eloquentia scribere ei erat propositum, sed oratorem **κατ' ἐξοχήν** fingere qualis esse deberet. Atque Cicero ipse iterum ac saepius confitetur se Oratorem hoc consilio scripsisse, ut quasi finem faceret scribendi de arte oratoria et libris de rebus oratoriis jam editis cumulum afferret, id est, ut in libris de oratore editis via, qua oratores propositum consequi possent, demonstrata et in Bruto eloquentiae Romanorum historia scripta jam perfectissimi oratoris specie fingenda animo et mente concepta neque ab ullo homine re vera visa propositum ipsum ostenderet. Qua specie quum Cicero omnibus libri locis oratorem ipsum significet, dicere possumus Ciceroni propositum fuisse illius perfecti oratoris et summae eloquentiae speciem exprimere. Jam ex hac ipsa re apparet, quemadmodum „Orator" et libri de oratore editi inter se differant. In his enim libris Cicero hoc prae ceteris agebat, ut quomodo perfecti oratores fieri et ad sublime illud eloquentiae fastigium venire possent, via ac ratione Romanos doceret, in „Oratore" hoc agebat, ut fastigium illud eloquentiae ipsum pingeret. Neque igitur in hoc opere dicendi praecepta tradere jam vult eamque ob rem in hoc libro eum non dicendi magistrum, sed existimatorem ac judicem esse videmus. Quamquam mirari non possumus plurima praecepta dicendi artis in libris de oratore editis jam tradita in „Oratore" iterum atque eodem modo commemorari, quod praecepta illa aliter tradi non poterant. Velut (ut ea tantum, quae maximi momenti sunt, commemoremus) in utroque opere genus demonstrativum ab genere judiciali et deliberativo contionis secernitur, in utroque opere qui dicuntur status causae et commendatio θέσεως nobis occurrunt. Praeterea quinque illae notae res omnibus oratoribus necessariae, invenire, collocare, memoria, elocutio, actio, et partes orationis usitatae, principium, narratio, argumentatio, peroratio in utroque opere leguntur. Neque desunt duo genera locorum et lumina orationis et sententiarum. In utroque denique opere exponitur oratorem perfectum philosophiae, juris, rerum gestarum et memoriae veteris ordinis peritum esse et salibus uti posse oportere. Attamen haec omnia in „Oratore" ita explanantur, ut aptum est ad consilium, quo hic liber scriptus est, quodque jam supra commemoravimus. Ea autem, quae in hoc opere levioris momenti sunt, principia, narrationes, paucis enumerantur, ea, quae in hoc opere majoris sunt momenti, ut omnia, quae ad elocutionem, quae est summa rhetorices pars, et ad numerum pertinent, diligentia accurata ac justa tractantur, et de elocutione et numero multa et nova et utilia ad ea, quae jam in libris de oratore editis Cicero exposuerat, adduntur. Atque major „Oratoris" pars in verborum circumscriptione revocata ad artem ac praecepta et in numero oratorio explicandis versatur. In eo autem oratore, cui nihil addi posset, describendo Ciceronem suo ipsius sensu artis oratoriae ductum esse manifestum est. Qui sibi conscius erat tres illas res, quibus inter se conjunctis in dicendo aliquid effici posset, ingenium, doctrinam, usum in se inesse. Hoc modo ad oratoris perfectissimi imaginem recte exprimendam opus erat Ciceronem sibi accurate ac diligenter proponere ea, quae dicendo consecutus esset quibusque rebus ceteris oratoribus praestaret. Atque ita in

summo oratore fingendo Cicero agit. Ostendit enim ea sapientia, quae viro vere eloquenti maxime adhibenda sit, videndo, quid in dicendo deceat, omnes oratores a se superari. Se solum esse temporum personarumque moderatorem. Ex quo intelligi potest, cur Cicero contendat suas ipsius orationes omnibus oratoribus usui esse debere ad genus dicendi recte deligendum. Atque quum in „Oratore“ Cicero ita summum oratorem describat, ut ipse judicabat, perspicuum est illum iis rebus multum tribuere, quorum ipse peritissimus fuerit. Ut statuit oratorem audientium animos conciliare et permovere maxime opus esse et duabus illis partibus, quas Graeci αὔξησιν et θέσιν nominent, in dicendo uti. Ornatum autem in dicendo eo potissimum cognosci posse, quod oratio praedita sit luminibus orationis et sententiarum, elocutione apta ad genus dicendi amplum, verborum forma ac concinnitate, quae orbem suum faciat et justo numero contineatur. Qua numerosa oratione luminibus ornata oratorem vere amplum cerni posse ut Cicero in „Oratore“ diceret nonnullis causis commovebatur, quas nunc considerabimus. Illius opera sermo oratorius sine dubio ea re summam consecutus erat perfectionem, quod in illo tria illa genera dicendi, grande, medium, tenue apte inter se conjuncta erant. Atque ex omnibus dictionibus ea sibi eligebat, quae imitatione dignissima esse viderentur, omnesque dictiones ita miscebat, ut inter se congruerent. Neque vero negari potest genus dicendi amplum, grave, copiosum in Cicerone praevaluisse. Illorum autem dicendi generum unumquidque probans monet, ne quis in aliquo genere adhibendo extra modum prodeatatque adhortatur, ut oratores in dicendo omnia ad decorum referant. Quae omnia praecipiendo pseudoatticis sese opponere volebat, quos jam in Bruto vituperaverat quorumque jam mentionem fecimus. Hi enim nullum nisi genus dicendi tenue probantes Ciceronis dictionem propter generis dicendi ampli usum vehementissime reprehendebant. Quos propter viros quum et Ciceronis ipsius laus oratoria et Romanorum eloquentia eximia in summum periculum vocarentur, etiam in „Oratore“ sicut in Bruto fecerat illos viros valde reprehendi Cicero necessarium existimabat. Eodem autem modo eos castigabat, qui in genere dicendi amplo adhibendo justum modum excedebant, atque potius hoc statuebat perfectum oratorem et optimis sententiis et verbis lectissimis dicere oportere. Ita videmus Ciceronem pseudoatticos vituperantem etiam qualis summus orator esse deberet exposuisse. Hujus autem liber, qui „Orator“ inscribitur, ad M. Junium Brutum scriptus erat, quem a genere dicendi demonstrativo valde abhorruisse et in numerum adversariorum Ciceronis acerbissimorum referendum esse jam supra commemoravimus. Attamen quum hic vir Ciceronis in aliis multis rebus similis esset, litteris Graecis esset eruditus, illustria eloquentiae singularis documenta dedisset, eximio ingenio praeditus esset, Cicero sperabat fore ut ille postea praeclara laude oratoria floreret, si studeret hoc opere Bruti falsas de oratore opiniones corrigere atque emendare. Intelligimus igitur Ciceronem hac ratione idem in Oratore scribendo quod in Bruto scribendo spectavisse. Eam ob rem quantopere Isocrates et Demosthenes ceteris oratoribus praestiterint in „Oratore“ Bruto ostendit. Praeterea studium Stoicorum dialecticae accurate cognoscendae illi eripere studet, quod, si Stoicos sequatur, ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodate dicere non possit. Maxime autem Ciceronis intererat libro, qui „Orator“ inscribitur, Brutum impellere, ut ornatu dicendi et verborum circuitu et oratione ad numeros alligata magis quam antea delectaretur, et monere, ne orationi versus insereret. Neque vero Brutum solum, sed etiam omnes dicendi studiosos qualis orator summus et perfectissimus esse deberet „Oratore“ Cicero docere volebat. Is suum esse putabat ea, quae oratori vere perfecto expetenda essent, manifeste ac subtiliter litteris mandare, ut non modo in tempus praesens, sed etiam in posterum ab omnibus proba-

rentur, quum praesertim intelligeret fore ut rebus reipublicae prorsus mutatis etiam eloquentia plane mutaretur. Etiam eo denique ad „Oratorem“ scribendum impulsus est, quod proelio ad Thapsum anno quadragesimo sexto commisso nulla jam spes reipublicae conservandae relicta erat, qua in Bruto scribendo aliqua ex parte saltem erat affectus. Qua re Cicero impellebatur, ut a negotiis publicis se removeret et libris scribendis operam daret, ut hoc saltem modo patriae prodesset.

Ita postquam quibus de causis Cicero post libros de oratore editos etiam Brutum scripserit et Oratorem breviter exposuimus, apparet hos duos libros a libris de oratore editis minime sejungendos esse, sed tria illa opera artissime inter sese cohaerere. Atque sic statuo duos illos libros, Brutum et Oratorem, quamquam multis locis eadem quae libri de oratore editi nos doceant, tamen ad animos dicendi studiosorum etiam magis excolendos idoneos fuisse.